

**05**

**A**

**1768**





Εὐν Θεῶ  
Κοσμολογία.  
five

*Exercitatio Physica*  
De

# MUNDO

*Quam*

In celeberrima Wittebergenſi Academia

Sub PRAESIDIO

*Viri Clarissimi atq; excellentissimi*

**Dn. M. JOHANNIS Sperlings**

Physicæ Prof. dignissimi, Præceptoris, Promoc-  
toris ac fautoris ſui æviternum colendi.

Τῶν Φιλοσοφῶν ἐξετάσει Subijcit

*In Auditorio Majori.*

**GABRIEL CORNICOELIUS Costorffienſis**  
Alumnus Electoralis.]

*ad diem 6. Auguſt. horis à 7. matutinis*

Scalig. exerc. 216.

Nihil beatius quàm ſcire, nihil divinius quam docere,  
Nihil propius veræ felicitati, quam diſcere.



WITTEBERGÆ,

Typis Ambroſij Rothi Acad. Typogr.

Anno M. DC. XXXVI.



M. J. B. O.



05 A 1768





בִּיהוּה

## Prooemium.

**D**ilosophi propter admirari philoso-  
phari coeperunt. Videntes enim effectus, nec  
scientes causas coeperunt admirari, eleganter  
loquitur Hieron. Savonarola l:1. de simpl. Chr.  
vita conclus. ii. Quibus verbis ne latum unguem discedit a  
mente Aristotelis dicentis: Admiratio est hoc est primo a-  
vo ad Philosophandum impulit; ita scilicet ut cum homines  
τῆ φύσεως ὁρῶντες τὰ εἰδέναι, a natura scientiam desidera-  
re videantur, subinde hoc vel illo admirationis ictu percul-  
si ad altiore[m] σοφίας contemplationem ascenderint. Hoc  
angustum est venerandum Philosophiae nomen in sui me-  
quoque tum amorem tum admirationem attraxit, ut spatio-  
sum ejus campum, ingressus, ipsum viridarium videlicet  
Mundum omni ex parte visitandum proposuerim. Quod ut  
bene est feliciter fiat, Deum medullitus invoco. Sit. Ergo.

### Articulus Primus.

exhibens.

### Positiones.

I. Ὁρισμός τῆ τῆς σοφίας γνωρισμός, inquit Stagirita. 2. Post.  
c. 3. Qua elegantissima adducti Paronomasia Mundi defini-  
tionem, ut eò facilius postmodum cætera innotescant, merito  
ante ponimus.

II. Est autem illa duplicis generis ὀνοματώδης, seu nomi-  
nalis,

A 2

nalis,

nalis, & πραγματώδης, seu realis. Ονοματώδης, quæ secundum Arian. l. 1. dissert. c. 17. ἀρχὴ παιδύσεως, vocis ἐπίσκεψιν absolvit, porrigendo ejus cum ἑτυμολογίαν, tum ὁμωνυμίαν & συνωνυμίαν.

III Ἑτυμολογίαν quod attinet & Græcis & Latinis Mundus dicitur ab ornatu, non tam propter coeli & reliquorum sublunarium munditiem, quàm propter omnium rerum concinnum ordinem.

IV. Ὀμωνυμίαν si attendas, certum est, quod vox Mundi sit ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Nam relictis Oratorum significationibus, adjectivâ pro puro, itemque substantivâ pro ornatu muliebri, ad huc variè accipitur in scholis Theologorum & Philosophorum.

V. Apud Theologos sumitur vel propriè pro mundo hoc aspectabili, vel tropicè & quidem I. per Synechd. pro hominibus, iisque 1. vel omnibus Joh. 3. v. 16. Rom. 5. v. 12 1. Joh. 2. v. 2. vel 2. aliquibus quippe improbis ac reprobis. Joh. 14. v. 17. | Joh. 17. v. 9. 1. Joh. 5. v. 19. Nullibi autem, quod observes, pro solis electis aut fidelibus. II. per Metaph. & Metonym. pro ἀταξία, quæ ex lapsu πρῶτοπλάσων contracta, omnibus inhæret. 1. Cor. 7. v. 31. Joh. 2. v. 16.

VI. Similiter & Apud Philosophos Mundi vocabulum, multifariam accipitur 1. pro ipso Deo, vel mente divina, in qua omnes formæ haberi videntur. Quod respexit Cic. l. 2. de natura Deorum dicens: Mundum esse Deum. Marsilio vocatur Mundus intelligibilis. 2. pro Angelis. Hinc est Mundus Angelicus. 3. pro omnibus creatis visibilibus & invisibilibus. 4. Pro homine & cognominatur μικρόκοσμος: pro systemate coeli & terræ & nominatur μακρόκοσμος ad differentiam μικρόκοσμος. Atque hæc significatio hujus loci propria est.

VII. Ὀμωνυμίαν excipit συνωνυμία. Hebrais Mundus vocitatur עוֹלָם à radice עָלַם cessavit, eò quod aliquando sit desiturus. Psal. 39. v. 6. Græcis appellatur κόσμος ἀπὸ τῆς κοσμεῖν, quod non solum ornare, sed etiam ordinare significat, cujus

cujus vocis Authorem Pythagoram fuisse docet. Plut. l. 2. de Placit. Philos. Item τὸ πᾶν καὶ τὰ ἕλα non quasi sit πᾶν ἀπὸ λῶς & extra eum nihil existat (ad sunt enim Angeli & beatorum hominum mentes) sed quod universa & omnia corpora naturalia complectatur, ita ut nullum planè corpus dari possit, quod terminis Mundi non contineatur. Latinis nuncupatur Orbis seu sphaera à figuræ rotunditate; universum, quia omnia sunt quasi in unum versa; Universitas rerum seu naturalium & corporearum &c.

VIII. Πραγματώδης sed realis Mundi definitio extruitur talis: Mundus est compages ordinata è cælo, Elementis, & que quæ intra hæc continentur, coagmentata & à Deo ex nihilo in sui gloriam, hominumque utilitatem creata.

IX. Definitiva hæc Oratio quanquam adeò perfecta non sit, cum Mundus seu Ens aggregatum & per accidens directè in nullo inveniat prædicamento, constat tamen Mundi causis, quas ponderabimus, & ipsas etiam affectiones breviter subiciemus.

X. Causæ sunt vel internæ ut Forma & Materia, vel externæ ut Efficiens & Finis.

XI. Forma Mundi est compages ordinata, qua res illæ conditæ omnes inter se connexæ & distinctæ ita, ut nihil supra. Inde Plato, ejusque sectatores in hanc abierunt sententiam, Mundum esse animatum. Sed ejus naturæ conveniens est, formam habere non substantialem sed accidentalem.

XII. Materia Mundi constituendi fuit Nihilum. Fecit autem Deus omnia ex nihilo vel immediatè; vel mediatè; Sicut rudem illam indigestamque molem creavit, ex qua deinceps omnes alias creaturas formavit. Materia Mundi constituti sunt omnia corpora naturalia, tam simplicia, quam mixta, tam animata, quam inanimata, imò in Universum τὸ Φυσικὸν σῶμα καὶ αἰὲρ ἦδ' ὕδωρ Arist. i. de cælo c. 9.

XIII. Efficiens est Deus ter Opt. ter Max. qui Mundum liberrima voluntate, non necessitate quadam produxit.

XIV. Finis est vel principalis vel minus principalis, ille

A 3

est



est gloria Dei, hic *ζωία* vel usus hominum est. Inde pulchrè  
Hermes Trismegistos in l. de Piet. & Philol. πρώτον ὁ θεός  
δεύτερον ὁ κόσμος; τρίτον ὁ ἀνθρώπος ὁ κόσμος διὰ  
τὸν ἀνθρώπον ὁ δ' ἀνθρώπος διὰ τὸν θεόν.

XV. Affectiones Mundi sunt duæ: Quantitas & Quali-  
tas.

XVI. Ratione Quantitatis & quidem continuæ, Mundus  
est finitus; discretæ unus.

XVII. Ratione Qualitatis Mundus est Sphæricus ac ro-  
tundus.

XVIII. Denique Mundus etiam dispescitur in superio-  
rem & inferiorem.

XIX. Superior est compages ordinata è corporibus cœ-  
lestibus coagmentata.

XX. Inferior est compages ordinata è corporibus sub  
cœlestibus coagmentata. Hæc quo ad theses sequitur.

## Articulus Secundus

proponens.

*Controversias.*

Quæstio I.

*An Mundi forma sit cœlum vel figura?*

R. Neg. utrumque. Non cœlum, quia est pars mundi inte-  
gralis, ejusque materia; non Figura, quia est accidens mundi  
extrinsecum.

Quæstio II.

*An Mundus habeat spiritum quendam commu-  
nem vel animam quandam peculiarem?*

R. Neg. Mundus enim non est certa aliqua species, sed spe-  
cierum omnium congeries. Si quis Spiritus concedendus il-  
li, præter Deum omnia gubernantem, omnia sustentantem,  
nullus erit. Ad huncrelata omnia Mundi corpora sunt muti-  
la, muneæ, sunt nihil, & si dicere fas est, sunt minus, quam  
nihil.

Quæstio



*An mundus ex nihilo sit conditus?*

R. Aff. Nam 1. creare est, aliquid ex nihilo producere 2. aut creavit Deus Mundum ex nihilo, aut aliquo. Non ex aliquo fuisset enim hoc Mundo prius, quod contra illum Dei Amanuensem qui cap. 1. Gen. v. 1. Mundum in principio novit conditum. E. ex nihilo. 3. pugnamus Scripturæ dictis ut Psal 33. v. 9. verbo Dei omnia dicuntur creata. Quare significatur nullam præcessisse materiam, sed sola verbi virtute hanc ipsam quoque fuisse factam. Sic Paulus ad Hebr. c. 11. v. 3. edisserit: Fide intelligimus perfecta fuisse secula verbo Dei, *εις τὸ μὴ ὄν φαινόμενων τὰ βλέπομενα γεγονέναι* ex invisibilibus visibilia fierent, hoc est, ex nihilo quippiam prodiret. Lutherus verit: Durch den Glauben mercken wir / das alles was man siehet auß nichts worden ist. Ergo sine ulla dubitatione id falsissimum esse credamus, quicquid Sapientes hujus Mundi sacris literis docent contrarium, monente Aug. l. 1. de Genesi ad lit. c. 31.

Quæstio IV.

*An primum Chaos fuerit Mundus?*

R. Disting. inter Mundum primitus exemplatum, formatum, & propagatione conservatum. Priorem admittimus, posteriorem utrumque abesse volumus.

Quæstio V.

*Qua causa Mundi efficiens sit?*

R. Deum mundi causam efficientem esse & Philosophi & Theologi certis ac indubitatis evincunt fundamentis. Philosophi; 1. Quicquid est aut à semetipso est, aut ab alio, Atqui Mundus à semet ipso non est, quia Nihil à seipso. Ergo est ab alio. Illud verò aliud erit aut creatura aut Creator. Non creatura, qui Mundi productio est opus infinitæ virtutis  
E. cre-

E. creator. 2 Quod est per participationem, & dependentiam, illud necessario est ab Ente quodam independente. At omnia Entia præter Deum sunt talia. E. 3. Si Dei nutu gubernantur omnia, sequitur eundem omnium fuisse effectorem. Nam si non fecit Mundum E. ab alio factum acceperit necesse est; hocque vel mutuo, vel vi, vel emptione, vel legitima successione, quæ merè nugæ, eaque impia. vide acutissimum Scalig. acutissimè ita concludentem Exerc. 3. Theologi; Psal. 33. v. 6. Manus Domini omnia fecisse perhibetur. Pudeat ergò Epicurum, Democritum & Leusippum, qui pulcherrimum hoc Mundi opificium fortuito, & cæco atomorum (si tamen hæc illorum mens) concursu affirmarant genitum. Diogenes l. ult. in vita Epicuri. Pudeat Simonem Magum, qui Angelos Mundi concreatores proclamat ignorans creationis infinitam virtutem, quæ Angelis tanquam creaturis finitis non competit. Nobis sufficiat scire cum Basilio l. de SS. c. 16 quod Deus, qui unus ἰσία trinus ὑποστάσει, pater ut causa πηγαία τρεκτική; Filius ut δημιουργική; Spiritus S. ut τελιωτική, verbo quo voluit; ratione qua disposuit; virtute quâ potuit totam Mundi Machinam in ornamentum suæ Majestatis de nihilo creaverit.

#### Quæstio VI.

*Quid Deus fecerit ante Mundi conditionem?*

R. Augustinum dixisse ferunt quod paraverit Infernum de hoc Interrogantibus. Doctor Pontanus dixit: sedet juxta spinetum & virgas cōpangit talibus curiosis de hujusmodi quærentibus. At scriptura, quod elegerit eos antequam jacerentur fundamenta Mundi.

#### Quæstio VII.

*An Deus Mundum creaverit liberè, an necessario?*

R. Non defuere, qui hujus quæstii consequens, nescio quibus ducti rationibus affirmare haud erubuerunt, sed cum velle suam cuique sic placet nobis antecedens affirmare ex libro

bro

307

bro partim naturæ partim scripturæ. Ex libro Naturæ. 1. Omnis necessitas præsupponit indigentiam, atq; in Deū non cadit indigentia. Est enim *αὐτάρκης* & nullius rei indigens. Ergo nec necessitas & quod *ἐπομένως* subsequitur Deus non necessario sed liberè Mundum creavit. 2. Si Deus non omnia liberè produxit coactus fuit, aut ab alio infinito, aut finito. Non ab hoc, quia nondum erat. Non ab illo, cum duo infinita nequeant esse vel in natura, vel extra naturam. Essent enim duo Principia, quod asserere *ἀφιλοσοφώτατον* est. Scalig. exerc: 359. Ergò Ex libro Scripturæ. Paulus ad Eph. i. v. 5. dilertè affirmat Deum in rebus creatis agere *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τῆς θελήματός αὐτοῦ*. Et Apoc. 4. v. ult. demonstratur, Deum creasse omnia *διὰ τὸ θελήματός αὐτοῦ*.

### Quæstio VIII.

*An Deus Mundum procreauerit in momento,  
an successive?*

R. Moses accuratè opus Creationis describens sex dierum intervallo Mundum conditum esse faterur, in qua sententia meritò, cum *αὐτόπιστος*, acquiescimus. Non ergò audiendi, qui *ἐν τῷ νῦν* he. in momento Mundum à Deo factum esse volunt. Etsi enim de *τῷ* posse respectu Dei non dubitemus, tamen de *τῷ* velle dubitamus jure, cum contrarium Scriptura monstret. Etsi etiam illud sextiduum respectu æternitatis, in qua Deus vivit sit quasi momentum, non tamen respectu nostri, qui in tempore vivimus, pro momento haberi vel potest vel debet.

### Quæstio IX.

*An Mundus in tempore an verò ab æterno  
esse cœperit?*

R. Priorem sententiam nos amplectimur adducti & rationis, & fidei principijs. Si enim æternus esset, numerus humanarum animarum actu infinitus foret. Homines enim infiniti fuissent. Imò, quod contradictorium, dies præcessissent infini-

B

ti.

ti. Et Apostolus ad Hebr. ii. v. 3. Per fidem intelligimus perfecta fuisse secula verbo Dei &c. Jam Argumentor: Quicquid æternum est, illud omni principio caret & fine At Mundus non caret principio, ut dictum, neque, ut paulò post dicitur, caret fine Ergo non est æternus.

#### Quæstio X.

*An absoluta sua potentia Deus mundum ab æterno creare non potuisset?*

R. Absit. Si absolutam Dei potestatem respiciamus, Potuit quidem, potest, poterit creare mundum ab æterno, sed non fuit optimum. Summum autem Bonum semper quod optimum est vult, quod per sapientiam cognoscit. Scalig. Exerc. 365. Rectè Damascenus l. 2 c. ult. Θεὸς πάντα, ὅσα θεῶν δυνάμεις, ἔχει ὅσα δὲ δυνάμεις θεῶν.

#### Quæstio XI.

*Quo anni tempore Mundus sit factus?*

R. Nonnulli Mundum factum esse arbitrantur tempore Autumnali Mense Septembri; Alij tempore Æstivo Julio Mense Alij tempore Veris mense Martio; pro Hyeme autem nemo reperitur qui certet. B. Lutherus in cap. 1. Gen. p. 19. nullum horum sufficientes habere rationes scribit. Quare illud dicit Miraculum primi Mundi, quod subito ista omnia existerunt, ut & germinaret terra, ac florent arbores, & illicet subsequerentur fructus. Id Miraculum tunc cessavit. Ergò male argunt ab effectu naturali ad supernaturalem causam. Item paulò post, Maximè tamen est verisimile, Veris id fuisse tempus, quo Mundus cœpit sic, ut Judæi quoq; suum annum incipiunt & primum Mensem Veris faciunt.

#### Quæstio XII.

*Quandiu duraverit Mundus?*

R. Quæritatem Mundi conditi supputarunt admodum inter se dissentiunt. Barth. in Cosmolog. quæst. 15. Pleramque  
autem

518.

autem illorum hodie retinetur supputatio, qui à creatione  
Mundi usque ad Nativitatem Christi numerant annos 3949.  
Quibus si adduntur isti, quos nos à nato Christo numeramus  
1636. provenient anni 5585. Tot ergò annos Mundus juxta re-  
centiorum calculum duravit.

Quæstio XIII.

*An Mundus sit in loco?*

R. Mundus consideratur vel quod Totum, vel quoad par-  
tes subcœlestes. Posterioris affirmativa nonnullis per placet,  
prioris displicet, cum suprema Mundi pars cœlum nempe, ex-  
tremum aliud circumscribens non agnoscat. At cum loci ra-  
tio in spatio, & non in superficie consistat, Mundum & quo-  
ad partes, & quoad se totum in loco esse putamus. Errat au-  
tem errorem sat crassum. Timplerus Deum Mundi locum fa-  
ciens c. 3. Phys. gener. quæst. 8. quid? quod addiderit reliqua  
omnia Entia præter Deum esse localia ô absurdum omni re-  
futatione indignum, & ante hac inauditum!

Quæstio XIV.

*An Mundus sit finitus?*

Mundum esse finitum certisque terminis circumscriptum,  
probat, 1. quia omne creatum est finitum. Sed Mundus. Ergò  
Majorem habet Scalig. exerc. 207. Minor constat ex dictis. 2.  
Quod mensuratum illud est finitum Mundus ex Sap. II. v. 22.  
Ergò. 3. Cujus partes sunt finitæ, illud ipsum est finitum. At  
Mundi ut in propatulo. Ergò.

Quæstio XV.

*An Mundus sit unus?*

R. De Mundi unitate olim quàm plurimæ circumfere-  
bantur sententiæ, ut videre est apud Joh. Fr. Picum Mirand.  
vanit. Doct. gent. l. 1. c. 20. Nonnulli statuerunt dari Mun-  
dos præter hunc alios, in quorum aliquibus neque sit Sol, neq;  
Luna; in alijs esse sidera nostris splendidiora; in alijs Soles &  
Lunas plures; in quibusdam nec animalia nec plantas & quæ  
alia hujus generis absurda passim ab ijs prolata inveniuntur.

Inter illos fuisse etiam fertur Democritus, cujus rationes cum audiret Alexander Magn. ingemuit, quod vix unicum tubegisset Mundum. Origenes l. 3. *περὶ ἀρχῶν* autumavit, ante hunc Mundum alium fuisse & post hujus interitum itidem alium futurum: Ideo Christum sæpius mortem subiturum, idq; pro reliquis Mundis. Verum istos nec ex Naturâ probant, nec consentiente scriptura defendunt. Dicitur Joh c. i. v. 10. *καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτῆς ἐγένετο*, hoc est, Mundus per ipsum factus est, non vero in plurali Mundi per ipsum facti sunt. Cognovit hoc Philosophus 12. Metaphys. c. 8. unde & unum Mundum confitetur. Est autem Mundus præter unitatem numericam unus 7. non ratione formæ informantis, nec unione naturæ, sed unione primi efficientis & finis. Colleg. Conio b. l. 1. de cælo c. 8. quæst. 1. 2. *συμμετρία ἕσται ἀναλογία* ac harmonia, quia omnia ad singula Totius Universi bene invicem conspirant. 3. ordine Scalig. in Theophr. de caus. Plant. f. 289. Jure ergo merito concludimus Mundum esse unum & perfectum, sc. eâ, quæ increaturam cadit, perfectione. Nihil enim ipsi deest in quantitate; nihil in qualitate; nihil in varietate specierum; nihil denique in ornatu & pulchritudine &c.

#### Quæstio XVI.

*Cur Deus unum tantum Mundum & non plures creaverit Mundos?*

R. dicit Athanasius in Oratione contra Idola. Ea propter Deum unum duntaxat Mundum condidisse, ne de multorum numero multi opifices ex istimarentur, sed ex uno opere unus illius author crederetur. Quæ oratio licet sit pia cogitatio, non tamen evincit id, quod vult & debet fatente ipso Athanasio. Dicimus igitur nos arcana hæc Dei ignorare, nec in hac vita posse perscrutari. Quis enim ejus fuit consiliarius? videatur Aug. l. 7. de Civit. Dei. c. 9. Voluntas creatoris, est ratio facti.

#### Quæstio XVII.

*An Figura Mundi sit sphericalis?*

R. Disco.

52  
R. Discrepantia nec hic exigua, dum nonnulli ad quadratam; nonnulli ad planam & latè porrectam; nonnulli ad aliam figuram confugiunt. Nos rejectis his omnibus cum Philosopho rotundam Mundi figuram statuimus. quia hæc est omnium capacissima, qua certe Mundum tot tantaque corpora sinu suo complectentem efformari oportuit. Arist. l. 2. de cælo c. 4. 2. quia principales Mundi partes ipsis sensibus dijudicantur esse circulares & sphericæ. Sic Terra cum aqua unà unum constituit globum. Sic cælum sua gaudet rotunditate, ut multis ostendit Arist. l. 2. de cælo c. 3. Etsi 3. alia poneretur figura puta vel quadrata vel triangularis, extra cælum nonne existeret vacuum? ἀνάκόλυσθον! ἀποπρον!

### Quæstio XIIIX.

#### *An Mundus sit habiturus finem?*

R. Aff. Monstrat hoc Scriptura, non dicitur Natura. Fidei est articulus, non rationis foetus. Itaque credendo intelligitur, non intelligendo creditur. Quo verò anno quo mense, qua die, qua hora miserabilis illa splendidissimi theatri speranda sit ruina, rimari & perscrutari nostrum non est.

### Quæstio XIX.

#### *An Mundus sit interiturus κατ' ἔσιν, an κατὰ ποιότηας?*

R. Ut pede felicissimo hic progredi possimus, notetur *ὡς πᾶν*, nos facere verba de mundo considerato non intensivè ratione aliarum specierum, omniumq; corporum sive animatorum sive inanimatorum in Mundo existentium; sed extensivè respectu cæli & Elementorum quæ omne hujus Universi spatium replere & occupare possunt. De his jam quæritur, an Deus in extremo judicio ea omnia prorsus sit sublaturus? num substantia tollatur, an extollatur? utrum futura sit *φθορὰ ἐσιώδης*, an sola *ποιότητων ἀλλιώσις*? Posterius magno consensu defendunt Scholastici & Calviniani plerique, ut videmus apud Goclenium disp. Phys. th. 17. p.

167. Triplenum c. 3. Phylgen. quæst. 11. Keckermannum curs.  
 b Philof. disp. 20. quæst. ult. Sed hiſce omnibus ſeſe opponunt  
 iſtiusmodi ſanctiores Philoſophi, ut & Theologi γενεσίως καὶ ὁλο-  
 θύτως Lutherani, prætendentes ſinguli, Scripturæ Oracula  
 de Univerſali Mundi interitu cum in V. tum in N. T. edita  
 eſſe tam clara & illuſtria, ut ſolis Meridiani jubar clarius &  
 illuſtrius eſſe nequeat. Videatur D. Eg. Hunnius in l. de  
 provid. p. 13. & 15. D. Meiſn. in Philof. Sobria quæſt. 5. p. 115.  
 D. Hönſterus in diſp. Catechet. Symb. Apoſt. Dec. 7.  
 problem. 2. & Barthol. l. d. q. 16.

*Deo Triumphus.*

**COROLLARIA.**

Grammat.

An homo ſit generis communis ?

R. Aff. ex genere cum Logico, tum Grammatico.

Rhetor.

An Ironia cum Mendacio ſit conjuncta ?

R. Neg. ex natura & Ironiæ & Mendacij.

Poetic.

Quomodo Poetæ Bacchum  
faciant cornutum ?

R. Μεθυστικῶς. Vinum enim immodicè bibentibus vera  
illa & fera cornua proſiliunt, quibus ille homines, hic lapides  
& fenestras petit, nec fama parcit bonorum. Athenæus l. 2.

Logic.

An propria unius rei poſſint communicari

R. Aff. alteri diverſæ ?

Metaphyſic.

An unius Entis una ſit eſſentia ?

R. Aff.

Phyſic.





8  
**A**mbiguus contorta plicis solvisse parato  
Judicio, nostrum nomen in astra vehit  
**H**æc animo reputans magni percurrere mundi  
Compages mirâ sedulitate studes,  
**H**uncce gradum celera, famâ super æthera notus  
Elides hostis noxia tela feri.

*David Korbmacher  
Herfordiâ V Vestpha-  
lus LL. Stud.*



**A**bita quem taciti terrarum cura fatigat  
Haftenus orbis adit pulpita sancta palam  
**S**obrius obscuri repetens precordia mundi  
Cujus ab hinc lapsus fessa senecta docet,  
**S**uspicio tutis titulos ac nomina verum  
Providus indicijs, & tibi ferta precor.

Amico Jonathanâ fide sibi jun-  
cto acclamabat

*Jobannes Lindnerus  
Haynâ-Misnicus  
Phil. Stud.*

**FINIS.**

05 A 1768

ULB Halle

3

003 787 095




Wort

601







313.

Εὐν Θεῷ  
Κοσμολογία.  
ἢ  
ἢ

*Exercitatio Physica*

De

# MUNDO

*Quam*

In celeberrima Wittebergensi Academia

Sub PRAESIDIO

*Viri Clarissimi atq; excellentissimi*

**Dn. M. JOHANNIS Sperlings**

Physicæ Prof. dignissimi, Præceptoris, Promoc-  
toris ac fautoris sui æviternum colendi.

Τῶν Φιλοσοφῶν ἐξετάσει Subijcit

*In Auditorio Majori.*

GABRIEL CORNICOELIUS Costorffensis  
Alumnus Electoralis.]

*ad diem 6. August. horis à 7. matutinis*

Scalig. exerc. 216.

Nihil beatius quam scire, nihil divinius quam docere,  
Nihil propius veræ felicitati, quam discere.



WITTEBERGÆ,

Typis Ambrosij Rothi Acad. Typogr.

Anno M. DC. XXXVI.

